

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0317

0315

0321

0311

0326

0306

0366

0266

0416

0216

0816

Ende

Anfang

304

civitatis nocte missi sunt ad explorandas custodias, qui protecti clipeis ad portam accesserunt. Cum autem neminem circa portam nec supra viderent, appositis ad murum scalis et advocatis sociis murum ascendunt, quo facto intra urbem descendentes portam aperuerunt atque intromissis sociis occurrentes Sarracenos occidunt, ad quorum tumultum reliquus excitatus exercitus raptis armis absque pugna et Christianorum damno in oculis Soldani civitatem ceperunt. Capta est autem anno Domini 1219 nonas Novembbris. Soldanus autem videns urbem occupatam a Christianis, concussus terrore castra sua combussit et recessit. Christianis autem Damiatam intrantibus occurrit intolerabilis foetor ex cadaveribus mortuorum, quae prae multitudine (B) sepeliri non poterant. Erat autem aspicere miserable, homines scilicet et mulieres et parvulos prae fame tabidos, quibus et domus et plateae plenae erant, nam nec mortuos vivi sepelire poterant, sed mortui vivos suo foetore occidebant. Mortui autem sunt in civitate infra XX menses, quibus civitas fuit obsessa, tum fame tum pestilentia ultra LXX millia paganorum. Reperti sunt autem in civitate ad tria millia armatorum, ex quibus quadringentos nobiliores et ditiones utriusque sexus pro redemtione captivorum nostrorum inter Sarracenos servati sunt. Alii Christianis venditi, parvuli autem baptizati, pauca autem victualia sunt in civitate reperita, sed aurum et argentum, lapides pretiosi, panni aurei et serici et aliae divitiae infinitae, quae omnia sub anathemate terribili ad medium sunt delata, atque per ministerium proborum virorum inter exercitum sunt divisa, adeo aequaliter, ut omnes, etiam mulierculae, pauperes et pueri de eis secundum ratam participaverint.

Subacta civitate et ordinata aliam civitatem, Thannis, fortissimam ceperunt, quia eam totaliter vacuam repererunt.

Anno Domini 1221. suadente diabolo inter Pelagium legatum et Johannem regem Jerusalem gravis controversia orta est. Nam legatus elatus factus, sui clericatus ordinem obliviscens universorum exercituum usurpabat dominium et bellorum ordinationem faciebat et captionem Damitiae urbis sibi adscribi et attribui volebat. Rex autem indignum putabat, ut in ejus provincia militares res per sacerdotes administrarentur;

